

sonalem habet, nequit nuntiare adversus Dominum illius prædii: potest tamen agere actione confessoria pro vindicando usufructu, & interesse. *L. 2. ff. b. t.* Possunt item nuntiare negotiorum gestor, filius, mancipium, mercenarius, amicus, vel procurator nomine ejus, qui patitur damnum ex tali opere si autem nuntiantes nomine alieno careant mandato speciali, debent de rato cavere, hoc est, Dominum habiturum ratam nuntiationem. *L. 5. §. 18. ff. b. t.* Imò, & pupillus potest nuntiare, etiam sine Tutore, quando ex hoc commodum sine detrimento capit. Nempè coram Judice, vel factu lapilli nuntiando: non verò verbaliter, quia possessionem amitteret. *L. 5. ff. b. t. Ginzal. in c. 4. b. t. n. 6.* Nuntiatio potest fieri non solum vicino particulari, sed & proprio, seu contra proprium superiorem nuntiantis. *L. 8. ff. b. t.* Imò, & contra Dominum fundi, si hic in præjudicium nuntiantis ædificet. Similiter contra infantem, & furiosum, etiam sine Tutoris, & Curatoris autoritate, dum tamen fiat in loco, vel propè locum ædificii. Etiam fabris, setivis, vel etiam mulieribus fit nuntiatio ita, ut ad notitiam ædificantis hæc pervenire valeat. *L. 5. §. 3. ff. b. t.*

281 Nuntiatione facta sive juxte, sive injustè, dummodo notorium non sit jus ædificantis, debet, qui opus novum incepit, etiam si Ecclesia sit, ab eo desistere, & cessare; donec de jure ædificandi constet. *L. 8. §. 4. ff. b. t.* Nuntiatio enim se habet per modum appellacionis extrajudicialis, qua pendente, nil licet innovare, & si forte quid innovetur, revocatur. Ideò si post nuntiationem adhuc opus continuatur, demoliri debet expensis ædificantis ante omnem cognitionem judicialem. *L. 20. ff. b. t.* Imò nuntians potest in continenti, secus ex intervallo, ædificatum in proprio fundo nuntiantis propria autoritate demoliri: quasi vim vi repellendo. *L. 27. ff. de Servit. urban. præd. quin.* & contra Dominum fundi: sed tunc debet præcedere nuntiatio. *L. 5. §. 10. ff. b. t.* Siquidem in suo solo ædificans non censetur inferre vim alteri, ante nuntiationem. Cessat tamen nuntiatio novi operis. 1. Si periculum sit in mora, ita ut dilatio damnum grave probabiliter sit allatura volenti ædificare. *L. 5. §. 12. ff. b. t. 2.* Si est notorium jus ædificantis: Nam Leges non debent manifestas injurias favere. *Barbos. in c. 2. b. t. n. 2. 3.* Si Prætor revocavit nun-

tiationem factam. *L. 16. ff. b. t. 4.* Si nuntians jure, nollit de calumnia, quando hoc à parte exigitur. *L. 5. §. 14. ff. b. t. 5.* Si nuntians remissit nuntiationem. *c. 2. b. t.* Nam quilibet potest suo juri renuntiare. 6. Si mortuus est nuntians re adhuc integra, hoc est, antequam aliquid sit ædificatum. *L. 8. §. 6. b. t.* quia nuntiatio ex parte nuntiantis est personalis: ex parte tamen nuntiantis est realis: nam potius fit in rem, quam in personam. *L. 10. ff. b. t.* Ac proinde, non solum in heredem, sed etiam in emptorem rei nuntiatæ transit nuntiatio. *L. fin. ff. b. t. Molin. de Just. rr. 2. D. 706.* Et quamvis nuntians non teneatur admittere cautionem de opere destruendo, quando constat injuste extractum esse. *c. 3. & fin. b. t.* nam melius est intacta jura servare, quam post vulnerationem causam remedium querere. *L. fin. C. In quibus causis in integr. tamen potest huic juri renuntiare, eamque admittere.* Et tunc ædificans potest prosequi: attamen nuntians tenetur talem cautionem admittere, quando periculum est in mora ædificii, vel quando ipse nuntians non probavit intra trimestre, sibi competere jus prohibendi ædificium. *c. 30. fin. b. t.* ne ædificia longo tempore inanibus nuntiationibus prohibeantur. *Gloss. in C. fin. b. t. V. Non obstantè.*

TIT. XXXIII.

De Privilegiis, & excessibus Privilegiatorum.

282 **P**rivilegium (quod in jure aliquando gratia, beneficium, inahlgentia, & favor appellatur) est Lex privata concedens aliquod beneficium, vel favorem contra, vel præter Jus Commune, *c. 3. D. 3. Suarez. de Legib. l. 8. cap. 1. n. 3.* Si enim nihil speciale concederet, quod Jure Communi, vel saltem Municipali non sit concessum, inutile foret privilegium. *C. fin. 25. q. 1. nam superfluum est precibus postulare, quod jam Lege permissum est. L. un. C. de Thesaur. lib. 10. Suar. de Leg. lib. 8. c. 1. n. 4.* Sufficit tamen, quod privilegium aliquid concedat, quod tali personæ, vel communitati prohibitum sit, Jure Municipali, quamvis alias Jure Communi liceat, & sic intelliguntur *Text. in c. 7. de Procur. c. 26. v. fin. de Jur. jur. Ali-* quan-

de Privilegiis, & excessibus Privilegiatorum.

quando solent dici privilegia illa gratia, in quibus licet nihil de novo, nec speciale concedatur ad majorem securitatem conceduntur, sed hæc sunt privilegia Juris Communi declarativa, non verò specialis beneficii concessiva. In dubio tamen, an aliquod privilegium sit purè declarativum, vel concessum pro concessivo habendum est, ut deducitur ex *c. 30. b. t.* Ubi Fratres Prædicatores, & minores privilegium habentes, ut ubique possint cum Altari Viatico celebrare, hoc sine licentia Prælatorum possunt facere: ne alias nihil conferret eis memorata indulgentia, seu privilegium sine quo, id, Prælati annuentibus, liceret eisdem. Et concludit Summus Pontifex: *Datum eis sine licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas publicare, ita quod dicti Fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti. Suar. de Legib. cap. 1. & ex n. 7.*

283 Licet privilegium non sit verè Lex, cum hæc immediate respiciat bonum totius Reipublicæ, quando è contra privilegium à Lege eximit privilegium: & bonum alicujus personæ, Collegii, vel communitatis tantum respicit: tamen dicitur Lex per quamdam analogiam: Nam sicut Lex ad sui observantiam obligat eos, in quos tertur, ita privilegium obligat non privilegiatos, ne privilegiatum in sui privilegii usu impediatur. Et quidem per modum Legis datur cum aliqua stabilitate ad omnes ætus, qui durante privilegio fiunt. Nec enim conceditur privilegium, sicut dispensatio, sine duratione, & ad unum actum tantum, v. g. ad ordines suscipiendos, vel contrahendum matrimonium. *Suar. de Legib. lib. 8. c. 2. n. 10.* Licet alias dispensatio cum privilegio conveniat in eo, quod dispensatio sit favor, & gratia, & non solum est præter, sed etiam contra Legem. Privilegium contra Jus naturale, vel Divinum concessum, vel bonis moribus contrarium, vel in magnum Reipublicæ damnum nullius momenti est. *c. 1. D. 10. l. 5. C. de Leg. 1. 16. C. de Sacros. Eccles. Potestas enim Principibus, etiam R. Pontifici concessa, ad indulgentia privilegia, non in destructionem, sed tantum in conservationem, & ædificationem Ecclesie, & Reipublicæ conceditur. *Trid. sess. 14. de Pænit. cap. 7.* Quando privilegium est circa materiam, quæ Legislatoris subjeat potestati, non requiritur justa causa, ut validè concedatur: quia cum*

ipse Legislator possit abrogare Legem respectu omnium subditorum, utpote à sua unice voluntate pendente, quare non poterit ab ea aliquam personam, vel communitatem eximere? Ut verò talis concessio licita sit, justa causa requiritur. Nam si esset præter Jus Commune speciem prodigalitatis, & acceptationis personarum retent. Si verò est contra jus, opponitur distributiva, imò, & legali justitia, quæ exigunt nullum eximi sine justa causa ab obligatione communi. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 21. n. 2. & seqq.* Hinc clare patet disparitas, cum concessione indulgentiarum. Has enim sine justa causa nequit Papa concedere, qui eas non concedit, ut Dominus, sed ut dispensator meritorum Christi, qui in talem dispensationem, non censetur consentire, nisi salubriter fiat, ex juxta, scilicet causa. *Extr. Unigenitus, 2. de Pænit. & remis. inter con.*

284 Privilegium concessum à Principe contra Jus Commune, quod clausula speciali contra privilegia non sit roboratum, Juri Communi derogat, etiam si de eo Princeps mentionem non faciat: quippè jura omnia in serinio pectoris censetur habere: secus si contra aliquod statutum speciale, vel municipale; vel contra aliquam localem consuetudinem, vel contra jus tertii privilegium concedatur. Cum enim hæc omnia, quid fieri sint, non præsumitur, Principem ea scire, ac proinde nec eis derogare velle, etiam quando motu proprio concedit privilegium, nisi specialem de eis faciat mentionem. *c. 1. de Constit. in 6. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 14.* Similiter dicendum est, quando Jus Commune aliqua clausula resistit communi derogationi: nam de ea debet fieri mentio: alias sine ullo effectu esset apposta, cum verba aliquid operari debeant. *c. 10. b. t. in 6.* Quando verò privilegium est insertum in corpore juris, si contra ipsum aliud concedatur prævalet utique talis concessio contra privilegium in corpore juris inclusum, etiam si illius specialis mentio non fiat, dummodo in priori privilegio non sit specialis clausula resistens contrariis privilegiis: Siquidem illud privilegium jam tamquam Jus Commune, quoad scientiam illius reputatur. *Ita Suar. de Legib. lib. 8. cap. 14. n. fin. cum aliis contra Panorm. & alios.* Et licet ad privilegii faciliorem probationem requiratur scriptura. *c. 8. D. 100.* Et gratiæ Apostolicæ ante expeditas literas qua-

quasi informes, præcipue in foro externo censentur: non tamen requiruntur ad illius valorem: siquidem consuetudine, vel præscriptione potest privilegium induci, & à Principe plura viva vocis oraculo solent concedi. *c. 7. 25. q. 2. Gl. 2. de Sepulch. ibi: Universa privilegia, gratias, indulgentias; verbo seu scripto concessas. Extr. fin. de Pœnit. & remiss. inter com.* Nam privilegii valor unice à Principis voluntate descendit: hæc ergo sive in scriptis, sive in voce tantum attendi debet. Hinc non valebit privilegium sine scriptura, quando hæc expressè à Principe requiritur, ut in facultate non residenti in beneficiis curatis, quæ quidem in scriptis debet ab Ordinario concedi. *Trid. sess. 23. de Reform. cap. 1. Idem est de facultate ingrediendi Monasterium Monialium. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 5.* nam tunc licentiæ Episcopi, vel Superioris debet obtineri in scriptis. Item si Pontifex conferat, vel uniat beneficia Ecclesiastica, vel confirmet electum. *Ext. 1. de Elect. inter com. vel si Papa pro foro externo dispense. Reg. 52. Camer. vel si Judicem delegerit. Reg. 27. Camer.* & justa aliquos grati, ut quis aliquid operetur quod sine ea non poterat, indiget ad sui valorem scriptura. Gratia tamen, quæ in facto consistit, & non in jure ad agendum, ut dispensatio Irregularitatis, sine litteris valet. *Sylv. V. Privilegium, n. 24. Suar. de Leg. lib. 8. cap. 2. Lym. lib. 1. t. 4. cap. 23. Mohin. de Just. tr. 2. D. 599. & alii.*

285 Privilegium potest à Principe concedi invito, & ignorant: nam sicut Legis obligatio præcisè à Principe pendet, ita & exemptio ab ipsa. Sic potest concedi privilegium non solvendi decimas, vel gabellas. Sed ne Principis gratia contemnantur, & hæc tantum indigentibus, & pertinentibus dentur, non solent hujusmodi gratiæ concedi, nisi volentibus, & acceptantibus directè privilegiatis: in privilegiato tamen indirectè nec scientia, nec acceptatio privilegii requiritur. Sic quilibet de communitate, etiam ignorans, gaudet privilegio communitatis concessio. Privilegium motu proprio, vel ad instantiam sine tertii privilegiati mandato concessum, regulariter non habet effectum ante acceptationem privilegiati, sicut donatio, ejus speciem refert privilegium, consensu donatarii indiget. Si privilegium ad instantiam partis per litteras, vel nuntium illud

postulantis concedatur, valet à die date, seu quando expeditur, nec est necesse expectare notitiam, vel illius præsentationem, ut actus juxta privilegium factus valeat. Nihilominus, ut licet fiat, debet expectari concessionis notitia, ne alias, quis se periculo exponat faciendo actum illicitum, vel etiam nullum. Sufficit tamen acceptatio facta per se, vel per nuntium, vel Procuratorem, vel Epistolam, sicut sufficit ad dominationem, cujus speciem privilegium refert. Ad privilegii usum non est necessaria promulgatio sollemnis sicut in Lege requiritur, sufficit enim publicatio particularis, ostendendo scilicet privilegium in publico instrumento, vel illud probando per testes omni exceptione majores: nam cum sit Lex respectu non privilegiatarum, debet eis publicari, ut ejus usum non impediatur: imò quando privilegium in tertii præjudicium cedit, debet ei ostendi, ut si velit, se opponat: nam de Principe non præsumitur, velle aliquem inscium suo jure privare. *c. 19. h. t. c. 7. eod. in 6. nisi forte Pontifex velit aliquem à censura, v. g. eximere sine Episcopi notitia. c. 1. de Consec. præbend. in 6. Suar. de Leg. lib. 8. c. 25. n. fin.*

286 Privilegium in plures species dividitur. Nam 1. aliud est contra jus, quo scilicet Jure Communi derogatur; v. g. exemptio à gabellis. Et hoc proprie privilegium appellatur; *arg. L. 16. ff. de Legib. & strietè interpretatur. c. 7. l. 9. h. t.* Aliud est præter jus, & hoc proprie dicitur gratia, quando scilicet aliquid in jure non expressum conceditur, v. g. potestas dispensandi: & interpretatur late. Illud non potest concedi nisi subditis Lege legatis: nec aliter potest concedens à Lege eximere: nam præteritio presupponit habitum. Quod præteritio est potest etiam non subditis concedi: nam est actus liberalitatis, quæ erga non subditum bene potest exerceri dum tamen sit de materia concedentis subjecta. Sic Imperator Theodosius concessit Judicibus Ecclesiasticis, ut possent cognoscere, & judicare directè causas temporales Laicorum. *c. 35. ff. de Leg. lib. 8. c. 9. ex n. 3. 2.* Aliud est commune, quod scilicet præcipue respicit bonum communitatis, licet in ejus individuos redundet, & huic nullus communitatis privatus potest renuntiare. Tale est privilegium fori, Canonis, & præsentatiæ concessum toti Ordini Clericali. *c. 12. de Foro Competent. Aliud est privatum,*

tum, seu singulare quod per se bonum personarum particularium respicit, & de sequenti tantum bonum commune, & huic potest quilibet, in cujus favore est introductum, renuntiare. *L. 29. C. de Pact. c. 6. h. t. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 6. 3.* Aliud est odiosum, quod scilicet ex favore facti privilegiatis damnum aliis infert: v. g. exemptio decimas, vel gabellas solvendi. Aliud favorabile dicitur, quia nulli infert præjudicium, sed tantum beneficium privilegiato concedit, v. g. privilegium vescendi carne in Quadragesima, vel audiendi sacrum tempore interdicti. 4. Aliud est privilegium clausum in corpore juris, quod scilicet inter alias Leges in jure est inclusum. Aliud est concessum per speciale rescriptum, quando scilicet alicui personæ, vel communitati speciale diploma dirigitur aliquod privilegium continens. Hoc privilegium, cum sit quid facti, potest ignorari à Judice, ac proinde, si contra privilegium ciet privilegiatum, debet hic, saltem pro reverentia, se coram Judice sistere, & privilegium ostendere. *c. 7. h. t. in 6. L. 5. ff. de Judic. secus dicitur de privilegio clauso in jure: nam hoc non debet Judex ignorare, nec contra illud quid præcipere valet: quod si præcipiat, non tenetur privilegiatus obedire, nec comparere, nec se excusare de comparendo. c. 5. c. 7. de Excessib. Prælat. 5.* Aliud est quod principaliter, & immediatè alicui conceditur, aliud concessum ad instar, quod scilicet alicui conceditur ad instar privilegii jam aliis antecesserit concessis: hoc est eo modo, & forma sub qua convenit aliis.

287 Sexto. Aliud est personale, quod scilicet principaliter personæ conceditur, & cum persona extinguitur. *L. 68. ff. de Reg. jur. c. 7. eod. in 6.* Aliud est reale, quod scilicet principaliter rei conceditur, licet in personarum utilitatem redundet, rei que adheret, illamque comittatur apud quemcumque sit possessorem. *L. 196. ff. de Reg. jur. Nec interest, an res, cui privilegium conceditur sit corporea, ut fundus, castrum, Monasterium, Ecclesia, hospitale, &c. & tale est privilegium Asyli locis sacris concessum: vel an sit res incorporea, ut Universitas, Civitas, Collegium, vel Communitas, vel status: v. g. Religiosus, Clericatus, Episcopatus, Doctoratus, Dignitas, vel alia qualitas, quæ possit à persona separari. Et tale est privilegium Canonis, & fori personis Ecclesiasticis concessum, restitutum*

in integrum concessa minoribus S. C. Macedonianum filiis familiis, & Vellejanum fœminis concessum, &c. Quæ omnia privilegia realia sunt. Et quidem, quando communitati, qua tali, sub nomine collectivo directè, & immediatè conceduntur, non descendit ad singulas particulares personas ipsam communitatem constituentes: sed tunc solum quando collegialiter talem communitatem representat. Si verò personis singularibus talem constituentibus communitatem concedatur privilegium, tunc singuli, etiam separati, privilegio gaudent, ut patet in Clericis respectu privilegii Canonis, & fori, & in regularibus respectu exemptionis. Si in privilegio Dignitas, vel Officium ejus, cui conceditur tantum exprimitur, erit reale, ad omnes successores in Dignitate transiens. Si persona tantum exprimitur, vel etiam simul cum dignitate, addendo ob scientiam, vel excellentiam personæ tale privilegium concedi, personale erit. Itaque necesse est, ut semper verba privilegii attentè perpendantur, ut ejus legitima mens erui possit. Si tamen omnibus percensis, adhuc persistat dubium, dicendum est, quod si privilegium sit merè favorabile, ut beneficium Principis late interpretatur, quod quidem decet esse mansurum. *C. 16. de Reg. jur. in 6.* ac proinde reale est censendum: personale tamen, si sit odiosum, & in alterius præjudicium vergat, vel exorbitans sit à jure, *arg. c. 15. c. 28. de Reg. jur. in 6. Suarez de Legib. L. 8. cap. 3.* Si aliquis habeat beneficium, cui annexum est aliquod privilegium, & Pontifex concedat ipsum beneficium alteri, addita hac speciali clausula: *Concedo tibi beneficium, sicut tuus antecessor habuit.* Ne hæc frustra evadat, censetur, etiam privilegium, cum beneficio concessum successoris. *Suarez de Legib. L. 8. cap. 15. n. 11.*

288 Septimo. Aliud est merè gratuitum, quod scilicet ex mera concedentis liberalitate procedit, non tamen ex privilegiati merito, ut merito: & hoc potest esse reale, vel personale. Aliud est remuneratorium, quod scilicet alicui ob merita præcedentia, & in eorum remunerationem conceditur, & licet hoc regulariter sit personale, potest tamen ex concessione Principis esse reale, quatenus ob merita parentum, vel antecessorum concedatur descendentibus, & successoribus: talia sunt privilegia Regularibus concessa. *Suar. de Legib. L. 8. cap. 4. n. 8.*

n. 8. 8. Aliud est *purum*, quod scilicet nulla pactione interveniente conceditur. Aliud est *conventionale*, quando scilicet pactio, & conventio intercedit: nam cum aliquid tribuat, ultra id quod jus concedit, privilegium erit, licet per accedens oriatur ex pacto, potestque esse personale, vel reale, juxta modum concessionis: in dubio tamen reale censetur, cum habeat rationem contractus, qui regulariter transit ad heredes. *L. 7. §. 8. ff. de Pactis. Suar. de Legib. L. 8. cap. 4. ex n. 9. 9.* Aliud conceditur *motu proprio*, aliud *ad instantiam partis*: *Motu proprio* conceditur illud privilegium, quod Princeps concedit, quin precesserint preces, vel instantia partis, vel etiam precedentibus precibus, si adjiciatur clausula: *motu proprio*, & quidem privilegium non intelligitur sic concessum, nisi prædicta clausula apponatur, & impossibile est aliter probare esse motu proprio concessum. *c. 23. de Præbend. in 6.* & est plenissima interpretationis. *c. 4. de Præbend. in 6. Gloss. ibid.* & difficilius arguitur obreptionis, vel subreptionis, quam illud, quod ad instantiam partis concessum est; *arg. c. 23. de Præbend. in 6.* Concessum ad instantiam dicitur, quando ob preces alicujus est concessum, & clausula motu proprio non adjicitur. *Suar. de Legib. l. b. 8. cap. 12. ex n. 4. Sanchez. de Matr. lib. 8. D. 1. n. 6. 10.* Aliud est *absolutè concessum*, quando scilicet à nulla conditione pendet: aliud est *conditionatum*, quando sub aliqua conditione tantum conceditur. Et quidem ad valorem actus per privilegium concessi debet verificari prius conditio, vel fieri opus in privilegio impositum: v. g. si quis habeat privilegium dispensandi cum alterius consilio, debet ad dispensationis valorem præcedere exquisitio consilii, non tamen tenetur dispensans consilium sequi, nisi in privilegio apponatur: *cum concessu alterius 11.* Aliud est *temporale*, quod scilicet tempore limitato finitur: v. g. quando Princeps illud tantum pro sua vita concedit, vel pro decem annis, vel sub conditione quæ finitur lapsu temporis. Aliud est *perpetuum*, quod scilicet ex se perpetuo durat, si non revocetur. *Suar. de Legib. L. 8. cap. 5. 12.* Aliud est *pro foro mere interno*, quod scilicet non prodest ad forum externum, sed tantum, ut actus possit in conscientia fieri. Aliud *pro foro externo*, quod pro utroque foro deservit. *13.* Aliud est *scriptum*, quod scilicet conceditur per scripturam, & quidem, auten-

tiam, & sigillo Principis obsignatam. Hodie jam regulariter adjicitur clausula, quod *trasmptis, etiam impressis integra detur fides, dum sint munita sigillo persona constituta in Dignitate, & subscripta à publico Notario.* Aliud est *non scriptum*, quod scilicet consuetudine, vel præscriptione est inductum, vel quod Princeps sola voce, seu ore tenus concessit, & hæc dicuntur privilegia *vivæ vocis oraculo* concessa; licet postea ad facilitiorem probationem in scripturam redigantur, & testimonio authentico digna fide pro foro externo reddantur; & hoc est necessarium ex *Constit. Jul. II. & ex Reg. 52. Cancelar.* alias quilibet sibi fingeret privilegia vivæ vocis oraculo concessa, eluderetque Leges cum magna perturbatione boni communis, & Reipublicæ damno.

289 De Privilegiis non aliter est judicandum, quam inspecto eorum tenore, ita tamen, ut non liceat eorum metas transgredi. *c. 7. b. t. Privilegia* enim, ut communiter dicitur, tantum valent, quantum sonant: jus enim singulare faciunt, quod ad consequentias trahunt. *L. 14. & seq. ff. de Legib.* idè non debent trahi de personis in privilegio expressis ad eas, quæ ibidem non exprimuntur. *c. 9. b. t.* Etiam si privilegium sit favorabile, non odiosum, & etiam si in favorem causæ piæ sit concessum: imò non debet extendi ad causam, vel personam non expressam, etiam si respectu illius militet similis, eadem, vel etiam efficacior ratio. *c. 9. b. t.* Cum enim tota privilegii vis non tam à ratione, quam à voluntate Principis concedentis pendat: ubi hæc voluntas non detur, nec privilegium datur, etiam si in persona similis, vel major ratio inveniretur: hoc tantum probat, eam esse dignam privilegio, non tamen eo gaudere: alias ex eo quod Pontifex cum uno dispensaret ad matrimonium contrahendum cum consanguinea, quia plura merita Ecclesiam facit: alius qui haberet eadem merita dispensatus censeretur, quod nemo dicit *Suar. de Legib. L. 8. c. 28. n. 11. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. Castropal. tr. 3. D. 4. p. 13. & alii.* Si verò adèd dubius sit privilegii sensus, ut non facile percipi possit, debet Legislator consulti: ejus enim est legem interpretari, cuius est condere, idè in privilegiis à Pontifice provenientibus Romanus Pontifex est consulendus. *c. 14. de Judic.* Quando verò est periculum in mora faciendum erit quod prudentia, attentis

circumstantiis, dicitur. Pro interpretandis tamen privilegiis sequentes regulas communiter proponunt DD. 1. Privilegium ita interpretari oportet, ut privilegio non sit onerosum: quod enim ob gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum, *cap. 61. de Reg. jur. in 6. 2.* Non est ita strictè interpretandum, etiam si gravosum, & odiosum sit, ut inutile reddatur, *cap. 30. b. t. L. 5. C. de Leg.* Et idè extendi debet ad ea, quæ ad usum illius requiruntur; *arg. L. 2. ff. de Jurisdic.* Sic privilegium celebrandi concessum Sacerdoti tempore interdicti comprehendit eum, qui ipsi ministrat. Et privilegium audiendi sacrum tempore interdicti Domino concessum extenditur, ad illius servos, *cap. 11. b. t. in 6. 3.* Debet fieri interpretatio explicando, & sumendo illius verba juxta intelligentiam juris, vel juxta communem modum loquendi, vel significationem frequentem, vel styli Curia, à qua privilegium dimanat, sic privilegium concessum ad dispensandum in votis facultatem ea commutandi comprehendit: privilegium faciendi testamentum, codicillos, & donationes causa mortis, ut testamenti accessoria continet: facultas percipiendi fructus beneficii, qua Clericus gaudet, dum abest causa Theologiam audiendi, etiam ipsi suffragatur, si Jus Canonicum audiat. Hinc etiam privilegium concessum Religiosis, dum non dicat: viros Religiosos, convenit Monialibus ejusdem Ordinis, si talis privilegii sint capaces. Similiter privilegium concessum filiis, & fratribus, si non est odiosum, etiam comprehendit filias, & sorores. *L. 56. ff. de V. S.* At verò privilegium filii concessum nisi aliud de concedendis voluntate constet, non extenditur ad nepotes. *L. 6. ff. de Testament. tutel.* Multoque minus debet privilegio gaudere privilegiati socius, nisi aliàs privilegium frustraneum redderetur; *arg. cap. 32. b. t. Suar. de Legib. L. 8. cap. 10. & 11. 4.* Si ex conjecturis appareat, verba aliud sonare, quod de concedentis mente non sit, magis menti, quam verbis standum est: quia non intentio verbis, sed verba intentioni debent deservire, *cap. 15. de V. S. 5.* Verba dubia, & obscura interpretanda sunt juxta indultum initium. *L. fin. ff. de Hered. instit.* vel juxta supplicationem, seu narrativam, cui solet se concedens accomodare, *cap. 6. de Fid. Instrum.* vel juxta aliud simile privilegium: 6. Si in privilegio addatur

hæc clausula: *Ex certa scientia*, ne iustria adjuncta videatur, censetur confirmare, & renovare privilegium, si forte usu, vel alia via, amissum erat, etiam si Princeps privilegii nullitatem ignorasset: non tamen censetur renovare privilegia subreptitia, quia nulla sunt: nec revocata à Concilio Generali, de uno verbo, quod multorum maturo consensu est stabilitum, destrui videatur. *Suar. de Legib. L. 8. cap. 18. & 19.* Privilegium, quod merum factum continet, nec Juri Communi, nec tertio affert præjudicium, etiam si in concedentis præjudicium cedat, latissimè interpretandum est, quia est beneficium, & gratia Principis, ac proinde latè interpretatur, *cap. 15. de Reg. jur. in 6. cap. 22. b. t. Suar. de Leg. L. 8. cap. 27. ex n. 3.* Sed cum Princeps non credatur velle derogare juri jam alteri quæsito, nisi hoc exprimat, privilegium, quod tali juri præjudicet, etiam si ex motu proprio processerit, strictè est interpretandum; *arg. cap. 12. de Offic. Ordin. cap. 5. de Auth. & usus pallii.* Quando verò privilegium Juri Communi, vel consuetudini derogat, regulariter strictè interpretatur, quia Juri Communi derogare odiosum est, *cap. 8. de Consuetud.* latè tamen interpretatur, quando inclusum est in corpore juris; nam tunc pars Juris Communis, aliquomodo censetur: vel si ex motu proprio, vel ex certa scientia sit concessum. *Arg. cap. 23. de Præbend. in 6.* vel si in favorem Religionis, vel causæ piæ cedat: nam causa Religionis valde favorabilis est. *L. 43. ff. de Relig. ut exemptio Clericorum, vel si Reipublicæ commune bonum respiciat, ut privilegium militum. Suar. de Legib. L. 8. cap. 27.* Nec debet extendi privilegium, quod opponitur statuto, vel consuetudini specialiter: dum tale statutum, vel consuetudo, non sint contra Jus Commune. *Suar. de Legib. L. 8. cap. 28. n. 16. & alii com.*

290 Concedere privilegia pertinet ad omnem, & solum illum, qui potest Leges condere: quia regulariter privilegium eximit à Lege, à qua solus Legislator, non verò iniciator, eximere valet; *arg. cap. 4. D. 21. cap. 16. de Major. & obed.* vel saltem est Lex obligans subditos ne privilegium in usu privilegii impediatur. Sic Pontifex potest in Universali Ecclesia directè privilegia concedere in materia spirituali: secus in materia Temporalis, Politica, & Civili: nam tunc tantum indirectè disponere valet, quatenus, scilicet ad bonum commune Ecclesiæ con-

ducit: in sua tamen Ditione temporali, cum sit supremus Princeps, etiam in materia Civili, potest privilegia concedere, sicuti ceteri Principes Sæculares, & Respublicæ non recognoscentes Superiorem. Episcopus in sua Diocesi, & alii Prælati Papa inferiores, possunt privilegia concedere respectu suarum Legum, non verò respectu Juris Communis, nisi ipsis specialiter permittatur à Jure. *Suarez, de Legib. l. 8. cap. 8. Gonz. in cap. 6. h. t. Consuetudo, vel prescriptio, etiam independentè à consensu expresso Principis, potest inducere privilegium, cap. 8. 9. q. 3. cap. 26. de V. S. cum ejus vis, etiam contra Legem prævaleat. C. fin. de Consuetud. Dum tamen tempore legitimo vigerit juxta dicta in Tit. de Consuetud. Privilegium juxta voluntatem concedentis mensurandum est, quia ab ea totam vim habet; nec actus agentium ultra eorum voluntatem operantur. L. 19. ff. de Rebus credit. idè, quando privilegium ad certum tempus, vel locum restrictum est, non licet eo uti extra tempus, vel locum. Quando verò absolute concessum est, valet non solum pro territorio concedentis, sed etiam extra ipsum. Tale enim privilegium est personale, quod personam ubique committatur; nec talis privilegii usus est semper actus jurisdictionis, sed potius superioritatis, vel si jurisdictionis sit, non ad contentiosas, sed ad voluntariam spectat, quæ sine strepitu judicii exercetur, sic dispensatus in voto castitatis ubique valet contrahere matrimonium: sic in irregularitate dispensatus, ubique suscipere ordines valet. Si verò ille actus esset specialiter prohibitus, etiam pro alienigenis in alia Diocesi: vel si scandalum ex usu privilegii sequeretur, non potest privilegiatus in ea privilegio ab alio Episcopo concessio uti. Similiter non prodest privilegium pro alieno territorio, si ad ejus usum validum, vel licitum ex necessitate, vel honestate est necessaria licentia Principis, Episcopi, vel Parochi illius territorii. Sic non potest quis uti privilegio concionandi, vel audiendi confessiones absque licentia Episcopi, in cuius territorii est: nam hanc conditionem imbibitam habere censetur privilegium. *Suaz. de Legib. lib. 8. cap. 26.**

291 Ille, cui privilegium est concessum, non tenetur uti suo privilegio; *arg. cap. 6. h. t. beneficium enim invito non datur. L. 69. ff. de Reg. jur. alias in ejus odium retorqueretur, quod in ejus favo-*

rem esset introductum contra *text. in cap. 61. de Reg. jur. in 6. nisi privilegium ut commune: nam si privatus posset eo non uti, posset proinde ei renuntiare, quod certe non potest, quia non est principaliter in favorem particularis introductum, cap. 12. de Foro. compet. Imò quando in favorem alicujus particularis est concessum, tenetur eo uti, quando tale est privilegium, ut eo concessio Jus Commune obliget, sic tenetur tempore interdicti sacrum audire, qui habet tale privilegium: nam illud removet impedimentum aut audiendum sacrum, quo ablato, præceptum ex se illum, utpotè non impeditum obligat. *Suaz. de Leg. l. 8. cap. 23. ex n. 7. Privilegiatus contra alium æque privilegiatum non gaudet privilegio, ut est commune brocardium ex L. 12. C. Qui potiores, quod non intelligitur, quando ille contra quem usus est privilegio, alio fortiori privilegio gaudet; v. g. quia sit speciale, quod generali derogat, cap. 34. de Reg. jur. in 6. vel sit magis absolutum, vel sit antiquius, vel à majore potestate procedat. Sic Prælati habens privilegium decimas exigendi à quacumque persona suæ Diocesis non potest eas exigere ab eo, qui privilegium habet non solvendi eas. Sic filius familias à minori mutuum recipiens privilegio S. C. Macedoniani non gaudet, cui prævalet ratio ætatis. L. 11. §. fin. ff. de Minor. Si gaudens privilegio concessio ab Episcopo non potest eo uti contra alium, qui habet privilegium à Papa. Sic qui habet privilegium recentius non prævalet contra eum, qui antiquius privilegium habet. *Suarez, de Legib. lib. 8. cap. 23. Quando tamen duo habent privilegia inter se non opposita, quilibet suo privilegio gaudet. L. fin. ff. Ex quib. caus. major. ibi: Qui Respublica causa absuit, etiam adversus eum, qui pariter Respublica causa absuerit, restituendus est, si aliquid damni jure quaritur. Suarez, de Leg. l. 8. cap. 23. C. com. DD.***

292 Inter omnia privilegia, quasi primatum tenet exemptio: tum ob ejus amplitudinem plura comprehendentem privilegia: tum ob ejus generalitatem; nam ubique invenitur: tum denique, quia frequentem præbet materiam discordiis, & litibus inter exemptos, & Episcopos. Exemptio ergo est privilegium, quo aliquis immediate Pontifici subjicitur, ac proinde ab ordinaria jurisdictione superioris immediatè liberatur. Si locus eximatur; v. g. Ecclesia, di-

citur exemptio *Localis*, talisque locus licet in Diocesi sit, tanquam si in ea non esset, habetur. *c. 16. h. t.* Aliquando, tantum eximitur ipse locus principalis, non autem Parochia, vel beneficia annexa, & dicitur *Exemptio in capite tantum*. Aliquando, non solum locus principalis, sed etiam omnes Parochia, Capellæ, & beneficia eximuntur: & dicitur *Exemptio tam in capite, quam in membris. c. 17. h. t.* Si persona eximatur, *personalis* dicitur exemptio, personamque ubicumque sit committatur; & cum ea extinguitur. *c. 7. de Reg. jur. in 6.* Si tam persona, quam locus eximatur dicitur *Exemptio mixta. c. 7. de Offic. ordin. in 6.* Et quidem si exempti habeant territorium, & populum exemptum, in eumque exerceant jurisdictionem, quasi Episcopalem, nomine Ordinariorum veniunt, & ipsi regulariter appellantur *Abbatès, Præpositi, vel Priores*: & locus dicitur nullius Diocesis. Quando verò non habent populum, vel territorium exemptum, sed tantum aliquem particularem locum, & ipsi quoad suas personas sunt exempti, in Diocesi esse dicuntur, non tamen de Diocesi. Exemptio autem, ut exorbitans, & odiosa, non latè, sed strictè interpretanda est, quantum verba illius sonant, & non amplius; *arg. c. 15. de Reg. jur. in 6.* Hinc est. 1. Quod exemptus respectu certi loci, vel officii, non censetur exemptus respectu alterius loci, vel rei, vel officii, potestque ab Episcopo puniri, si extra talem locum, rem, vel officium delinquat. Talis enim exemptio juxta concessionis tenorem potius localis, quam personalis censetur, ac proinde non debet extra suos limites extendi. *c. 16. h. t. 2.* Si Prælati sit ratione sui exemptus, non sunt exempti subditi, quibus ille præest; sed Episcopo subsunt imò, & ipse Prælati ratione illorum debet suscipere mandata ab Episcopo super illis emanata, & cogitur ratione illorum coram Episcopo comparere. 3. Si Clerici alicujus Ecclesie sint exempti, non censetur exempta ipsa Ecclesia, & sic respectu illius plena gaudet Episcopi jurisdictione, licet in Clericos non possit ipse jurisdictione exercere. *Cockier. de Jurisd. in Exemp. q. 13. C. alii com. 4.* Monasterio, vel Ecclesia exempta, non censetur exempta Capellæ, ipsi subjectæ: omniaque jura Episcopalia in eis Episcopus retinet, quia non habent cum loco exempto connexionem, nisi pleno jure subjectæ sint. *c. 17.*

c. 12. h. t. Nec populus censetur exemptus ex eo, quod eximatur Ecclesia. 5. Ecclesia exempta, vel Monasterio, non solum exemptum est ædificium cum Cæmeterio, attio, & hortis in eo inclusis, vel connexis; sed etiam Clerici, & Religiosi etiam conversi, & perpetuo obliti, & præcipue Prælati: nam hi omnes veniunt nomine Ecclesie, & Monasterii respectivè, proindeque nulla fit extensio privilegii. *c. 12. de Testam.*

293 Exemptio acquiritur 1. privilegio Sedis Apostolicæ. Romanus enim Pontifex, vel ob instantiam Principum, vel ob merita, & obsequia Ecclesie à Religionibus facta concedit eis exemptionem, ut eas liberet à molestiis, & gravaminibus, quæ sæpè pati solent. *c. 15. c. 16. de Excessib. Prælator. Cl. 1. eod.* Et quidem interest Romanæ Ecclesie plures habere sibi immediatè subjectos. Nec enim ex quibuscumque verbis rescripti probatur exemptio, quibus incidenter narretur, aliquem esse exemptum: nam præcisè narrando non censetur Pontifex exemptionem concedere, sed potius, cum aliandè concessam supponit: sed debent verba esse dispositiva, & assertiva exemptionis, quatenus, vel expressè, vel æquivalenter dicat Pontifex, se eximere talem personam, vel locum; v. g. si dicat talem locum esse juris Divi Petri, vel ad Ecclesiam Romanam specialiter, vel immediatè, vel simpliciter pertinere: Ne alias tales Clausulæ nihil speciale continent. *c. 10. h. t. in 6.* Vel si dicatur, quod Episcopus non audeat ibi suam sedem collocare, vel potestatem exercere: vel si dicatur, Ecclesiam esse plenè liberam, vel gaudere speciali Romanæ Ecclesie prærogativa. *c. 10. h. t. in 6.* Si aliquis sub Pontificis protectione existere dicatur, non ex eo est exemptus. *c. 18. h. t.* Etiam si dicat Pontifex se aliquos in proprios, & speciales filios Ecclesie recipere: nam si non dicatur, eos in proprios, & speciales Ecclesie subjectos recipi, non sunt exempti. *c. 10. h. t. in 6.* Nec exemptio probatur ex solutione annui census, qui quotannis Ecclesie Romanæ fit: nisi in signum libertatis, & exemptionis talis census solvatur. *c. 8. h. t.* Siquidem, nec omnes Ecclesie solventes census exemptæ sunt, nec omnes exemptæ illum solvunt: ac proinde ex se solutio census, nisi aliud addatur exemptionem non probat. Quando alicui Ecclesie, vel Monasterio exempto alia Ecclesia pleno jure subjicitur,

ea intelligitur exempta ab Episcopi potestate, & Monasterio exempto acquiritur jurisdictioni quasi Episcopalis in Ecclesie unita subditos, & etiam presentatum, institutio, & destitutio Clericorum: non tamen percipit fructus: nam hoc non exprimitur. Eadem ratione, si fructus Ecclesie unita Monasterio exempto liberè ad suos usus adjudicentur, solum conceditur administratio in spiritualibus, & temporalibus, & relicta Vicario congrua sustentatione, reliqui fructus Monasterio adquiruntur. c. 10. c. 12. de Præbend. non tamen censetur Ecclesia unita eximi ab Ordinario: nam privilegium Pontificis non derogat juri alterius, nisi hoc exprimat. c. 19. b. t.

294 2 Adquiritur exemptio præscriptione 40. annorum; licet enim contra obedientiam non possit præscribi, c. 12. de Præscript. ita ut Ecclesia nulli Prælato sit subjecta, vel ita, manente subjectione, obligati obediendi tolleretur: potest tamen præscribi ipsa exemptio c. 14. b. t. c. 7. eod. in 6. c. 15. c. 18. de Præscript. & quidem per possessionem 40. annis cum titulo, vel sine eo tempore immemoriali continuatam, & nunquam interruptam. c. 7. b. t. in 6. c. 1. de Præscript. in 6. Barb. in c. 7. b. t. in 6. n. 6. 3. Ipse Episcopus in limine foundationis Ecclesie, vel Monasterii potest exemptionem concedere; cum enim adhuc jus superiori non sit quasitum nihil alienare censetur, ei cedendo. Sed quia alienare censetur post foundationem factam, solum ex justa causa, & accedente Capituli consensu, poterit talem exemptionem concedere. c. 52. 12. q. 2. c. 5. de Reb. Eccl. non alien. Cockier. de Jurisd. in exempt. p. 1. q. 3. Cum verò talis exemptio toti ordini sit concessa, nullus particularis potest absque dubio renuntiare exemptioni sibi concessa: nam hæc non tam favorem privatorem, quam Majestatem Romani Pontificis respicit. c. 5. de Arbitr. c. 14. b. t. Quando dubium, vel lis oritur inter exemptos, & Episcopum, non pertinet ad hunc cognitio judicialis causæ. 1. Quia est causa Episcopi propria, & nullus Judex, nisi supremus in causa propria cognoscit. L. 10. ff. de Jurisd. L. un. C. Ne quis in sua causa. c. 27. 23. q. 4. 2. Quia exemptio magis respicit jus Romani Pontificis, quam exemptorum. c. 14. b. t. & nullus inferior de jure superioris cognoscere valet. c. 16. de Major. & obed. pertinet ergo ad Romanum Pontificem tales lites deci-

dere. c. 12. de Judiciis, quia ille debet privilegium, vel Legem interpretari, qui potest privilegium condere, vel Legem condere. L. fin. §. 1. C. de Leg. ibi: Quis Legum anigmata solvere, & omnibus aperire idoneis esse videbitur, nisi, in cui soli Legislatorem esse concessum est. c. 31. de Sentent. excom. ibi: Ut igitur unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. Lite ergo mota, & pendente, si exemptio est notoria, vel in corpore juris inclusa non possunt exempti citari ab Episcopo; vel si citentur nulla est citatio, ut contra tenorem privilegii facta; arg. L. 5. ff. Mandat. Si notoria non sit exemptio; nec in corpore juris clausa, tenetur exemptus coram Episcopo comparere ad præscriptionem probandam, vel privilegium suæ exemptionis exhibendum. c. 7. b. t. in 6. L. 35. tit. 18. p. 3. Tunc enim cum Episcopo habeat fundatam intentionem contra sic allegantes potest procedere, etiam, quando neuter est in possessione quod si Episcopus sit in possessione suæ jurisdictionis, contra allegantes exemptionem potest actus exercere, etiam si tales offerant privilegium exhibere, vel aliter illud probare: nec si appellent, tenetur Episcopus appellationem admittere, quia tunc non ut Judex, sed ut pars sum jus Episcopus tuetur, & defendit. Si tamen litigantes in possessione exemptionis sint, tunc Episcopus, cum non possit eos possessione, vel quasi possessione sui juris privare, supersedere tenetur, nec aliquem actum exercere valet in personas litigantes, vel locum controversum, nec potest adversus tales procedere, nec censuras minari: potest tamen petere, ut præscriptionem probent, vel privilegium exemptionis exhibeant. c. 7. b. t. in 6.

295 Quando est exemptio notoria, vel in corpore juris inclusa, non tenetur exemptus eam probare, nec tenetur comparere si citetur: sufficit enim exceptionem fori declinatoriam opponere; arg. c. 6. de Rescript. Si verò non sit notoria, nec in corpore juris clausa, cum sit quid facti, non præsumitur, nisi probetur ab allegante illam, præcipue cum pro Ordinario militet præsumptio: siquidem in Jure Communi habent fundatam intentionem, quæ præsumptio rejicit, in adversarium onus probandi. L. 25. ff. de Probat. Cockier de Jurisd. in exempt. p. 1. q. 8. Exemptio tamen probatur, vel probando exemptionis possessionem 40. annis cum titulo, vel sine hoc, tempore im-

immemoriali continuatam; vel probando sententiam declarantem exemptionem ex ipsis actis, vel scriptura authentica, vel his deficientibus, ex depositione testium, fama, vel præsumptione. Si per privilegium probanda sit exemptio, hoc debet exhiberi judici, vel aliis viris, non suspectis, quos Ordinarius deputavit. c. 7. b. t. in 6. & attente inspicendum est, ad mentem Pontificis ex ejus tenore, vel aliter eruendam: nam verba intentioni, non intentio verbis deservire debet. c. 15. de V. S. Exemptus ratione personæ ubicumque delinquit non potest coram Episcopo conveniri: Similiter si sit specialiter exemptus ratione delicti, contractus, vel rei sitæ: nam in his casibus non potest coram Episcopo conveniri ubicumque delinquit, contrahat, vel rem habeat. Si verò ratione loci tantum sit exemptus, si extra locum delinquat, vel contrahat potest coram Episcopo conveniri. c. 1. b. t. in 6. Nam limitata causa limitatum producit effectum. L. 16. ff. de Acquir. rer. dom.

296 Regulares, etiam exempti, Episcopo in pluribus casibus subsunt, vel tanquam Ordinario, vel tanquam Sedis Apostolicæ delegato. Et quidem ipsi tanquam Ordinario subsunt. 1. In omnibus illis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut sunt Ordines suscipere, consecrare Ecclesias, petere Chrisma, & alia hujusmodi. 2. In approbatione ad audiendas confessiones sæcularium. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 15. 3. In prædicatione verbi Divini in Ecclesiis, quæ non sunt sui ordinis. 4. In promulgandis indulgentiis impetratis à S. Pontifice. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 9. 5. In Monasteriis, vel Ecclesiis erigendis. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3. 6. In exequendis ultimis voluntatibus. Cl. un. de Testament. 7. In observatione festorum ab Episcopo indictorum, & in servandis censuris, & interdictis ab ipso promulgatis. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 12. 8. In censura librorum. Trid. sess. 4. de Edic. libror. 9. Si ad processiones vocetur, & etiam circa controversias motas in ipsis processibus, & deductione funerum. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 13. Episcopo tamen ut Sedis Apostolicæ delegato subsunt Regulares. 1. Si Regulares extra claustra degant, & vagentur. Trid. sess. 6. de Reform. cap. 3. 2. Quoad clausuram Monialium. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 5. 3. Quoad lectionem Sacræ Scripturæ, quam in Monasteriis debent habere.

Trid. sess. 5. cap. 1. Et quoties in jure dicitur, quod Episcopi contra exemptos autoritate Apostolica, vel tanquam Sedis Apostolicæ delegati, procedant. Hos, & plures alios casus afferunt. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 105. Cockier de Jurisd. in exempt. p. 2. q. 45. enumerat. 116. de quo jam aliquid diximus. Quando Episcopus, ut delegatus procedit, ab eo ad S. Pontificem appellatur: quando verò ut Ordinarius, ab eo ad Metropolitanum, qui est immediatus superior Judex, appellatur. Aliquando tamen hoc medio omisso ad Sedem Apostolicam appellatur. De quo alibi.

297 Aliquando privilegium, quod alicui est concessum, alteri communicatur, extendendo privilegium ad illam personam, vel communitatem. Et tunc aucto, vel restricto primo privilegio, per quamdam consequentiam augetur, vel restringitur secundum. Similiter augetur, vel diminuitur privilegium ad instar primi concessum, si quasi accessorie, & dependentè à primo concedatur: sicut solent privilegia religionum communicari familiaribus earum. Nam accessorium sequitur principale. c. 42. de Reg. jur. in 6. Quando verò alicui conceditur privilegium ad instar alterius, se æquè principaliter, & directè, ita ut primum solum tanquam exemplum sit adductum: tunc revocato, aucto, vel restricto primo privilegio, in suo robore perseverat secundum sine restrictione, vel augmento: adeò, ut etsi primum privilegium nullum esset tempore concessionis, si concedens exprimat in specie, quod concedat tale privilegium, hoc valet, etsi nullum sit illud, ad cuius instar secundum concessum est: nam hoc principaliter, & per se conceditur, nec dependet à primo, quod tantum, ut exemplum afferatur. Ita probabiliter Gastropal. tr. 3. D. 4. p. 2. §. 8. cum aliis. Imò si in communicatione novum aliquod privilegium concedatur, eo gaudebit secunda Religio, & non prima, nisi mutua detur communicatio. Per privilegia ergo, quæ alicui Religioni communicantur pariformiter, ac absolute, & eodem modo, ac alia habet, adquiruntur Religioni secundæ omnia privilegia communia toti Ordini, quæ habebat prima tempore concessionis, secus quæ sunt propria particularium, vel quæ postea adquisivit prima Religio, nisi forte, etiam ad futura extendatur communicatio. Privilegia, quæ concessa sunt alicui Religio-

gioni, cum clausula: *Ne aliis communicentur*, non communicantur, nisi in concessione huic prohibitioni derogetur. Nec communicantur ea, quæ ad aliquem locum sunt restricta, vel quæ Princeps in specie non esset concessurus, vel quæ vergerent in Religionis detrimentum, vel destructionem. Sic Mendicantibus non communicantur privilegia Militariibus concessa habendi proprium, & testandi. Indulgentiæ concessæ alicui Religioni in honorem fundatoris illius, communicantur aliis cum debita proportione fundatorum ipsarum respectivè sicut Julius II. declaravit apud *Rodrig. Regul. QQ. tit. 1. q. 55. art. 20.* Licet in nostra Societate non possimus uti privilegiis Societati concessis, quin hæc per Superiores nobis communicentur ob nostrum speciale institutum ex *Bull. Greg. XIII.* Si tamen hæc communicentur alii Religioni, sine tali restrictione possunt eis uti Religiosi, etsi per suos Superiores eis non communicentur. Quæ omnia pendent ex tenore privilegiorum, quæ proinde attentè consideranda sunt. De quibus latè *Suar. de Legib. lib. 8. ex cap. 15. Rodrig. t. 1. Reg. QQ. 55. & alii com.*

298 Privilegia variis modis finiuntur, & cessant, & quidem privilegium. 1. finitur: Si revocatur. Hæc revocatio potest fieri expressè, hoc est, exprimendo in particulari privilegium revocatum, vel saltem addendo clausulam generalem, scilicet: *Non obstantibus, quibuscumque privilegiis*: per hanc enim clausulam privilegia revocantur, exceptis his, quæ indigent clausula speciali, vel quæ in corpore juris sunt inclusa, vel quæ in vim contractus, vel propter remunerationem meritorum sunt concessa. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 38.* Deindè tacitè revocatur: si Princeps, de quo saltem præsumatur scire privilegium concessum, ponat aliquem actum, qui sine derogatione privilegii nequeat stare. Si verò in Principe præsumatur, ignorantia privilegii non censetur hoc revocatum: nam sine ejus cognitione, nequit esse voluntaria, & libera talis derogatio. c. 1. de *Constitut. in 6.* Per legem generalem censetur revocata privilegia, in corpore juris inclusa. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 39.* Per sententiam judicis privilegio contrariam, non revocatur privilegium licet possit reprobari, quod est declarare, vel nullum esse privilegium, vel male obtentum, vel jam desuetudine amissum. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 39.*

n. 4. Quando revocatio fit per legem contrariam, sufficit, hanc promulgari in Curia, vel loco ad id destinato, & esse elapsum tempus ad ejus obligationem sufficiens: v. g. duorum, vel plurium mensium: quibus positis, etiam si aliquis in particulari revocationem nesciat, ipsa adhuc est firma. Quando vero revocatio ab homine, vel privato fit, non sufficit, quod privilegiatus habeat casualem notitiam revocationis, sed debet ipsi per Nuntium, Epistolam, vel rescriptum intimari, sicut intimatur his modis privilegium: & res eisdem modis dissolvitur, quibus colligatur. *L. 35. ff. de Regul. jur. Suar. de Legib. lib. 8. c. 40.* Privilegium gratis concessum potest revocari à Principe, vel alio concedente privilegium, vel ejus superiore, vel ejus successore in Dignitate: quia cum suo antecessore una persona civiliter censetur, & aequali gaudet potestate. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 37. ex n. 12.* & quidem sine justa causa validè revocatur: nam unicè à voluntate concedentis pender, non tamen licitè: nam beneficium Principis decet esse mansurum, & revocatio inconstantiam, & levitatem arguit; *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 37. n. 10.* Privilegium remuneratorium, non potest à Principe revocari: non solum si remuneratio sit ex justitia, sed etiam quando est ex gratitudine: nam jam privilegiatus ejus debito cessit ob privilegium sibi concessum. Et cum hæc cessio prætio æstimabilis sit, si fortè Princeps tale privilegium revocet, illud aliter compensare tenetur. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 37. n. 6.*

299 Princeps, vel ejus successor non potest sine justa causa revocare privilegium concessum subdito ex contractu oneroso, cum Princeps servare pacta cum subditis inita teneatur, cum hæc obligatio à Jure Naturali procedat, quod etiam Princeps obligat: imò, etsi illud concesserit ex contractu gratuito: nam tunc promissione à subdito acceptata transit privilegium in ejus dominium. Causa tamen publica existente ad revocandum, ea scilicet, ob quam Princeps potest subditos suis bonis spoliare, vel quæ sufficit, ad revocandam donationem subdito factam, potest utique Princeps privilegium revocare, & quidem sine compensatione, si privilegium ex contractu gratuito processit, si tamen ex oneroso ortum fuisset, compensatio facienda est, cum non pertineat ad bonum publicum, quod subditus re sua omninò sine aliqua

compensatione privetur. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 37. n. 5.* Nec à Principe privilegium concessum non subdito, & ab ipso acceptatum potest sine causa publica revocari; nam per talem acceptationem in ejus dominium transit per modum donationis, & privilegiatus jus adquisitum habet, quod sine causa publica nequit ab eo auferri, hoc est, quando in damnum Reipublicæ, vel concedentis cederet. *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 37.* Et quidem *Urban. VIII. in Bull. Alias.* Revocabit omnia indulta, gratias, facultates, concessionis, & privilegia ante ipsum concessum quibuscumque Regularibus, & quomodocumque concessa, etiam intuitu Regum, & licet à Cardinalibus essent subscripta: adeoque neque pro foro externo, nec interno licet eis uti: nisi sint autentica facta per Officiales, quibus ex officio incumbit de ipsis fidem facere; tunc enim, pro utroque foro valent, ut idem Pontifex declaravit. Non tamen sunt revocata privilegia Sæcularibus concessa: nam de privilegiis Regularium loquitur Bulla. Nec revocantur privilegia Regularibus ab aliis, quam à Sede Apostolica vivæ vocis Oraculo concessa, nam de illis tantum loquitur Bulla. *Vid. Diana in Sum. V. Privilegia, n. 5. Lacroix, lib. 1. ex n. 850.* Ubi satis aptè agit de hoc. Privilegia post ipsum vivæ vocis oraculo concessa, etiamsi non sint facta autentica valent pro foro interno: nam Urbanus nec voluit, nec potuit suorum successorum limitare potestatem. Nec par in parem habet imperium. *L. 4. ff. de Recept. qui arbitr. pro foro externo valebunt*, si legitime probentur, etiamsi careant solemnitate requisita ab Urbano VIII. Deindè aliqua privilegia Regularium sunt à Trident. expressè revocata in *sess. 25. de Regul. cap. 20.* quæ ibi possunt videri. Etiam censetur revocata omnia, quæ alicui Trident. Decreto habenti clausulam irritantem, opponuntur. Et sanè prædictis privilegiis hodie non licet uti adhuc in foro conscientie, nisi fortè post Trident. de novo sint concessa: Hinc *Alex. VII.* hanc propositionem damnavit, quæ est 36. *Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concil. Trid.* Alia verò privilegia concessa Regularibus ante Trident. quæ alicui Trident. Decreto opponuntur, si tale Decretum non sit munitum clausula irritante, non censetur revocata; ac proinde eis in utroque foro licitè utun-

tur Regulares: nam privilegia specialia non censentur revocari, si de eis expressa mentio non fiat, vel clausula irritans apponatur, sed potius ignorata creduntur, *cap. 1. de Constit. in 6.* & ita ipsa praxis, & consuetudo Regularium declarat. *Suar. de Leg. L. 8. cap. 18. Rodrig. tom. 1. Regul. q. 8. art. 6.*

300 Secundo privilegium finitur, mortua persona privilegiata, quando privilegium est personale. *L. 68. ff. de Reg. jur. cap. 7. eod. in 6.* si reale est solum per destructionem rei, cui est concessum, non per mortem personæ, finitur; v. g. Si alicui ædificio sit concessum, eo destructo suspenditur, eo reparato reviviscit; *arg. L. 36. ff. de Religios. & sumpt. si alicui communitati, vel Ecclesiæ, Academia, vel Civitati sit concessum, ipsam committatur privilegium, etiamsi de uno, in alium locum de autoritate superioris transferatur, cap. 48. cap. 49. 16. q. 1. cap. 2. de Religios. domib. Suar. de Legib. L. 8. cap. 5.* Finitur per renuntiationem privilegiati, verbis expressis factam, & quidem liberam, & non coactam, dummodo tale privilegium in ipsius privilegii particularem favorem sit introductum, cum quilibet possit sub jure renuntiare, *cap. 6. b. t. L. 29. C. de Pactis.* Si verò in favorem communitatis, status, vel Dignitatis sit concessum nullus particularis potest ei renuntiare, *cap. 12. de Foro compet.* Si privilegium solum favorem privilegiati respiciat, & nulli incommodum afferat; v. g. privilegium confessarium eligendi vel comedendi carnes in Quadragesima, potest à particulari renuntiare; at verò ut renuntiatio valeat, requiritur, quod privilegium concedens acceptet renuntiationem. Hinc quousque acceptetur potest privilegiatus, etiamsi renuntiasset, uti privilegiorum: nam hoc pender à voluntate concedentis, & acceptatione privilegiati, ac proinde, dum non est acceptata renuntiatio adhuc potest privilegiatus eo uti; & illud retinere, etiamsi antea renuntiasset; *arg. capit. 7. de Procur. in 6.* Nam concessio superioris, quando privilegium concessit, fuit consummata in acceptatione privilegiati, & fuit absoluta, quoad effectum tollendi Legis obligationem: Ut ergo hæc Legis obligatio redeat, ejusdem Legislatoris voluntas requiritur: nam per voluntatem privatam redire nequit. Quod etiam patet à pari in dispensatione tollente impedimentum matrimonii, vel aliam inhabilitatem. *Suar. de Legib. lib. 8.*

cap. 33. n. 18. Similiter, potest privilegiatus suam renuntiationem revocare, si privilegii renuntiatio cedat in alterius utilitatem, quousque ipse renuntiationem acceptet, sicut qualibet donatio, quousque acceptetur revocari potest. *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 33. n. 14. & seqq.* Privilegio quidem communi, quod vel est inutile, vel indifferens, & cuius renuntiatio non cedit in detrimentum Ecclesiae, vel tertii potest renuntiare Praelatus cum capitulo, cap. 8. de *Const.* si tamen privilegium sit utile, & honorificum, non aliter tenet renuntiatio quam si omnes de capitulo conveniant, ac proinde unus solus potest renuntiationem impedire; arg. C. 8. de *Constit.* Si tamen privilegium sit communitati noxium per se ipsum, etiam sine renuntiatione, cessat: nam quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, cap. 61. de *Reg. jur. in 6. 4.* Etiam privilegia amittuntur per renuntiationem tacitam, quae ex juris interpretatione consistit in non usu privilegii, ut usu contrario. Qui enim sciens & volens privilegio in alterius gravamen, & praedictum resultante non utitur, cum deberet, & posset uti, illi renuntiasset censetur. Et juris dispositione hae renuntiatione admittitur, quin sit necessaria acceptatio concedentis: vel etiam quia praescribitur contra privilegium decennio inter presentes, vicennio inter absentes, & aliquando longiori tempore, si eo non utatur privilegiatus, sicut praescribitur contra leges tempore legitimo, cap. 6. cap. 15. b. t. L. 42. tit. 18. p. 3. *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 34.* Qui vero privilegio pure gratioso, & non afferente damnum, vel gravamen alicui, ut est privilegium Missam ante auroram dicendi, non sit usus, etiam per longissimum tempus, illud non amittit, quia cum suo privilegio non teneatur uti, non censetur renuntiare non utendo. Nec potest prescribi contra ipsum, quia non respicit jus alterius; imò & si quis non utatur privilegio alteri gravoso, cum nulla occasio eo utendi se offerat, vel etiam occasione oblata, si privilegiatus eam ignotet, vel ea nequeat uti ob absentiam, infirmitatem, vel violentiam alterius, non amittit privilegium, etiam longissimi temporis lapsu: quia cum iste non usus non sit voluntarius, non est sufficiens ad inducendam tacitam renuntiationem: secus est, si de tali voluntate sufficienter constet. *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 34. n. 17.*

301 Quinto: actu vel usu contrario privilegio negativo, hoc etiam aliquando amittitur, quando scilicet, cedit in alterius praedictum; v. g. privilegium non solvendi decimas. Si quis enim eas solvat libere, & voluntarie, sine protestatione, coactione, vel ignorantia privilegii; vel si alium actum directe contrarium toti privilegio faciat, privilegium amittit, & ei renuntiasset intelligitur, dummodo tale sit, cui ab eo possit renuntiare, quia v. g. sit in favorem ejus, non communitatis concessum, cap. 6. b. t. L. 5. tit. 20. p. 1. ibi: *E si despues que le fuese otorgado tal privilegio diese diezno de algunas heredades, non se puede despues excusar por él, que no lo dén: é esto es, porque ellas mismos hacen contra su privilegio.* Si vero per viam praescriptionis amittatur, requiritur decennium inter presentes, & vicennium inter absentes: quod si privilegiatus sit Ecclesia, vel Monasterium, quadraginta anni debent currere, cap. 4. cap. 6. cap. 8. de *Prascript.* cap. 15. b. t. Triginta, imò & decem annis solet amitti privilegium per viam renuntiationis, si hoc tempore continuato privilegiarius sciens, se gaudere tali privilegio, volens, & sine protestatione decimas, vel tributa solvat, cap. 6. b. t. Si vero quando privilegiatus facit aliquem actum contra privilegium, protestetur, se illum facere sine privilegii praedictum, non amittitur per talem actum, quia actus agentium non debent operari ultra agentium voluntatem, L. 19. ff. de *Rebus credit.* *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 35. ex n. 22.* Privilegium vero negativum, quod est mere gratiosum; v. g. non jejunandi, vel non recitandi Horas Canonicas, etiamsi plures actus contrarii apponantur, non amittitur, nec censetur privilegiatus ei renuntiare, sed ex aliis motivis; v. g. ex devotione, actum contrarium ponere censetur. *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 35. num. 22. 6.* Qui privilegio abutitur eo utendo ultra ipsius limites, vel sumendo ex illo occasionem delinquendi, vel agendo contra privilegii finem, dignus fit ut eo privetur, C. 24. b. t. cap. 45. de *Sentent. excom. L. 42. tit. 18. p. 3.* ibi: *Si alguno tovriere privilegio, é usáre del mal, así como si pasáre á mas, ó fiéiere mas cosas, que en el privilegio fueren dadas, tal privilegio perdiese, é lo que por él fue dado: Ca derecha cosa es, que los que usaren mal de la gracia, ó de la merced, que los Reyes les hacen, que la pierdan.* Et L. 47. & Alex. III. in

in c. 4. b. t. rescripsit Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos litterae istae pervenerint, quod si fratribus Hospitalis Hyerosolimitani nollint facere justitiam privilegia ipsorum recipere contemnentes, pro certo sciat (ait Pontifex) quod nos concessa vobis privilegia decurtabimus, cum Ecclesia Romana scriptis authenticis obviare minime timeatis, *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 36. 7.* Tempore elapso sive certo, ut decennio, sive incerto, ut tempore vitae alicujus; vel deficienti conditione sub qua conceditur perseverantia privilegii, hoc amittitur; arg. c. 4. de *Offic. delegat.* Nam cum totus ejus valor pendeat a concedentis voluntate, hac deficiente, non perseverat privilegium: nam actus agentium non operantur ultra intentionem agentium. c. 25. de *Jur. jur. L. 19. ff. de Rebus credit.* Privilegium quidem verbis ambiguis concessum, ita ut pro uno, vel pro pluribus actibus possit valere, ut quando indefinite datur ad aliquam speciem actuum, vel per modum potestatis ad aliquod agendum; v. g. ad eligendum Confessorem, vel ad confessiones audiendas, pro pluribus actibus valet, nisi omnino cesset causa, ob quam fuit concessum. Quando enim gratia pro unico actu datur, hoc significatur verbis apponi solitis: *Pro hac tantum vice: Semel in vita, vel in morte, &c.* *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 29. n. 8. Sanchez. de Matr. L. 8. D. 31. n. 8. contra Navar. Enriq. & alios.*

302 Octavo. Cessant causa finali privilegii, quando hoc est odiosum, & nondum est integrè concessum, cessat privilegium: nam ea causa cessante, quae non solum est impulsiva, sed finalis, & principalis, sine qua Princeps non concederet, deficit intentio concedendi, ac proinde nulla est concessio; arg. c. 60. de *Appell. Suar. de Leg. lib. 8. cap. 30.* Quando integrè est concessum, & unico actu consummatur, ut dispensatio contrahendi matrimonium concessa habenti votum castitatis ob vehementes tentationes, eo consummato, non cessat privilegium, etsi perveniat ad casum, à quo incipere non possit: nam retractari non debet, quod legitime factum est. c. 73. de *Reg. jur. in 6.* Nec tentationibus cessantibus castitatem servare teneret, *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 30. n. 4.* Si privilegium habeat tractum successivum, & causa finalis cesset contrariè, hoc est, quod usus privilegii ob varietatem circumstantiarum, iniquus, vel illicitus sit, vel in privile-

garii detrimentum vergere incipiat; privilegium cessat; arg. c. 16. de *Cler. non resid. c. 9. de Decim. c. 16. de Censib. L. 5. tit. 20. p. 1. Suar. de Leg. lib. 8. cap. 30. n. 6. Gonz. in c. 9. de Decim. n. 4.* Si vero causa finalis privilegii negativè cesset, hoc est, quando ratio concedendi cessat, quin tamen usus privilegii illicitus evadat, tale privilegium perseverat. *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 30. n. 7.* Si causa privilegii integrè existit, quando gratia conceditur, hae perseverat, licet causa cesset, quia non à causa futura, vel conditionali habet suum effectum, sed à causa praesenti. Si vero causa tractum habeat successivum, quando hae cessat, cessat etiam gratia concessa, nec enim aliter conceditur gratia, quam causa durante. Hinc si cum aliquo ob infirmitatem est dispensatum, ut carnem in Quadragesima edat, cessante infirmitate, cessat dispensatio; arg. c. 12. de *Cleric. non resident.* ubi dicitur, quod privilegiatus, ut absens in studio fructus praebendae percipiat, existens in villa, vel Castello, ubi nullum est, vel minus competens studium, privilegio non utitur. *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 30. n. 9.* Privilegium regulariter non finitur morte concedentis, etiamsi odiosum sit, & pro limitato tempore concessum, nisi expressè adjiciat concedens, sed illud pro tempore vitae suae concedere: nam privilegium continet favorem, & gratiam respectu ejus, cui conceditur: & gratia semel rite obtenta non finitur morte concedentis. c. 9. de *Offic. delegat. in 6. c. 36. de Prab. eod. Suar. de Leg. lib. 8. cap. 31. n. 1. & seqq.* Licet privilegium concessum ad beneplacitum concedentis, attempto rigore juris, & verborum morte concedentis esset finiendum; quippe tunc ejus beneplacitum finitur: tamen benigne hodierna praxis talia verba explicat, ut solum eis Princeps intendat, tale privilegium non habere vim pacti, quod aliquomodo concedentem, vel ejus successores obliget ad illud non revocandum. *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 32.* Si gratia nondum est facta, sed facienda est per Executores, privilegium cessat morte concedentis, nisi commissio facta sit in gratiam ipsius Commissarii, vel Delegati: nam respectu ejus est gratia facta. c. 36. de *Prabend. in 6. Suar. de Leg. lib. 8. cap. 31. n. 8.* quando verò gratia jam est facta, licet res adhuc integra sit, hoc est, quod privilegiatus nondum ceperit tali privilegio uti, non finitur, Qq etiam-

etiamsi moriatur concedens: nam quod rescriptum iustitiæ, quo jurisdictio contentiosa delegatur, cesset, si res adhuc integra moriatur delegans, est speciale. c. 20. c. 30. de Offic. delegat. quod non debet ad gratias extendi. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 31. n. 5.* Denique pro coronide præcipua privilegia Indis concessa, pro resolutione casuum hic occurrentium, apponam. Sic ergo Paulus III. in *Constit. Altitudo Kal. Jun. 1537. Super eorum (Indorum) matrimonii hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures, juxta illorum mores, habebant uxores, & non recordantur, quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint, & cum ea matrimonium contrahant per verba de presenti, ut moris est. Qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant: ac eis concedimus, ut conjuncti, etiam in tertio gradu, tam consanguinitatis, quam affinitatis non excludantur à matrimonii contrahendis, donec huic Sanctæ Sedis super hoc aliud visum fuerit statuendum. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam statuimus, quod in Vigilia Nativitatis, & Resurrectionis D. N. Jesu-Christi, & omnibus sextis Feriis Quadragesimæ jejuniare teneantur. Cæteros vero jejuniorum dies, eorum beneplacito propter novam ad fidem eorum conversionem, & ipsius Genis infirmitatem, permittimus. Eisque, etiam concedimus, quod Quadragesimalibus, & aliis prohibitis anni Temporibus, lactiniis, ovis, & carnibus, tunc temporis dumtaxat vesci possint, cum cæteris Christianis ob aliquod Sanctum opus obeundum similibus civis vesci posse à Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. Dies autem, in quibus eos volumus à servilibus operibus cessare declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumcisionis, Epiphania, Resurrectionis, & Ascensionis, ac Corporis ejusdem D. N. Jesu-Christi, & Pentecostes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis Gloriosæ Dei Genitricis V. M. ac ejusdem B. Petri, & Pauli ejus Coapostoli. Cæteros dies festos ex causis supradictis illis indulgemus. Et insuper considerantes maximam ipsius Indiæ Occidentalis, & Meridionalis à Sede Apostolica distantiam: tam vobis (Aschiepiscopis, & Episcopis) qui in partem Apostolicæ solitudinis assumpti estis: quam iis, quibus super hoc vices vestras auctoritate per Nos vocis super hoc concessa specialiter duxeritis committendas omnes noviter con-*

verses prædictos in quibuscumque Sedis Apostolica reservati casibus etiam in litteris in aia Cæna Domini legi convenit (nihil nobis de illorum absolutiōibus reservatis) auctoritate Apostolica, injuncta eis patientia salutari, in forma Ecclesiæ consueta prout prudentia vestra videbitur expedire, absolventi plenam, & liberam à dicta Sedis beneplacito facultatem concedimus. De aliis Indorum privilegiis. *Vid. Allox. in Sum. V. Indi, sect. 2.* & alibi aliquid dicimus. Circa gratias à nostris Regibus Indis concessas. *Vid. Indicem R. Ind. V. Indios.* Ubi de hoc latè agit.

TIT. XXXIV.

De Purgatione Canonica.

303 **Q**uia sæpè contingit, aliquem infamari de aliquo crimine, quod non potest sufficienter probari, & non convenit delicta impunita manere, nec innocentem injustè infamiam pati, idèd fuit inducta purgatio Canonica, ut per eam, vel probatio compleatur, vel innocentia declaratur. Ecclesiæ enim in suis Ministris, nec suspicionem infamiam volens sustinere, eos suspectos, ad se purgandum compellit. c. 5. & seqq. 2. q. 5. *Gonz. in C. fin. b. t. n. 2.* Sicque potest definiti Purgatio Canonica est ostensio innocentie de objecto crimine juxta prescriptum Sacrorum Canonum facta. Olim fiebat 1. celebrando Missam, vel sumendo Eucharistiam, ut infamatus, sic ostenderet suam innocentiam: nam si conscientiam objecti criminis haberet non aderet in iudicium, & condemnationem Eucharistiam sumere. c. 23. 2. q. 5. ibi: *Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas præcepit, presentibus fratribus, & sic expleta Missa omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* 2. Accusator, & reusjuramentum præstabant ad sepulchra, & reliquias SS. Martyrum. c. 6. c. 7. c. 8. 2. q. 5. 3. fiebat per iudicium S. Crucis, vel per sortes alteri jactas, quæ post varias preces extraherantur, vel per stationes nocturnas, & diu sine lapsu continuatas, vel per juramentum præstitum per Sanctam Crucem, vel Illam tangendo. *Gressor. L. 2. de Cruz. c. 16.* & quidem hic modus erat frequentior, & qui postea Sacris Canonibus fuit admissus. Sic juramentum præstat qui vult se purgare de crimine objecto. c. 5. b. t. præter ipsum purgan-

gandum debent jurare etiam super Evangelia compurgatores, seu testes ab ipso assignati. Et quidem horum juramentum non est de veritate, sicut est juramentum purgandi, sed de credulitate, scilicet jurant, se credere, quod purgandus verum juraverit, ac proinde innocentem esse, siquidem ipsi nequeunt alienam conscientiam videre. c. 5. b. t. Compurgatores debent esse personæ honestæ, & fidedignæ. c. 7. b. t. Si enim propter crimen sunt condemnati in iudicio repelluntur. c. 9. b. t. arg. c. 54. de Testib. Debent esse vicini purgandis. c. 11. b. t. vel si hos, quia sunt inimici, nolit assumere purgandus, debent habere notitiam de vita, & moribus purgandis. c. 10. b. t. ut ritè jurare possint. Hodie numerus compurgatorum arbitrio iudicis relinquitur attentis gravitate criminis, & infamiae, & personæ qualitate. c. 13. c. 19. 2. q. 5. imò, & omninò possunt compurgatores, omitti pro personæ qualitate, & levitate infamiae. Olim enim compurgatores debebant, si poterant haberi, esse ejusdem ordinis cum purgando. Sic Episcopus se purgabat 12. Episcopis arg. c. 19. 2. q. 5. Sacerdos 5. vel 7. Sacerdotibus. Diaconus tribus Diaconis adhibitis. arg. c. 10. c. 12. b. t. Etiam possunt Laici, & fœminæ admitti, si purgandus sit advena, qui testibus compurgantibus caret, & statur illius juramento de sua innocentia: sed simul adedere debet, se non potuisse compurgatores invenire.

304 Solum Judex, qui posset de crimine objecto cognoscere, potest purgationem indicere, siquidem hæc supplet probationum defectum, adeo, ut si eam indicat Judex incompetens pro nulla habeatur. c. 6. c. 10. c. 15. b. t. Si is, cui indicitur purgatio, injustè gravetur, potest appellare ad superiorem Judicem incidentis purgationem. Præterea non debet indici nisi eis personis, quarum fama, & bona existimatio populo Christiano custodiri expediat. Tales enim sunt Episcopi, & alii Prælati, Prædicatores, Sacerdotes Regulares, Moniales, imò, & Laici, si honesti, & fidedigni sint. c. 1. c. 3. b. t. c. 10. 12. q. 1. non inducitur Popularibus, vel vilibus personis, ob periculum perjurii: sed in his probationis defectus per torturam suppletur. Purgatio non est indicenda, quando innocentia plene probari potest, vel indicia sunt levia, & vana: tunc enim sine purgatione quis absolvendus est.

L. 4. C. de Edendo nisi forte pars aliquibus levibus indicibus laborans instet, quod sibi indicatur purgatio; nam tunc ob ejus importunitatem indicitur. c. 12. b. t. Nec indicitur, quando delictum est notorium. C. 15. b. t. quia hoc probatione non indiget, nec accusatione, ut puniatur. C. 9. de Accusat. ne quando infamatus potest convinci per testes, vel alias probationes. c. 2. c. 5. c. 8. c. 10. b. t. Indicitur ergo tantum purgatio, quando inveniuntur suspensiones, non leves, sed graves: non tamen adeo vehementes, ut delictum, vel innocentiam probent. L. 32. tit. 5. p. 1. ibi: *O si fure accusas, & non se podria averiguar por prubas.* Quia purgatio tantum in subsidium probationum est introducta. c. 4. c. 10. b. t. Debet etiam purgandus esse diffamatus publicè, non infamia juris, sed infamia facti, & quidem apud bonos viros, & graves. c. 15. b. t. Imò etiam si talis infamia oriatur à malevolis, ita ut scandalum generetur, quod purgatione possit cessare, indicenda est purgatio. Regularitèr tamen infamia à vanis suspitionibus, vel ab hominibus malevolis orta contemnitur; arg. c. 8. de Cohabit. Cleric. L. 32. tit. 5. p. 1. ibi: *E si fallaren tales señales, por que puedan sospechar contra el, entonce debenlo mandar que se salve, segun abvedrio de su Perlado mayor. Et ibidem Gregor. Lop. Aliquando indicitur purgatio etsi non præcedat infamia delicti, sed alia macula, vel impedimentum ad Ordines, vel beneficia obtinenda: v. g. defactus natalium. c. 14. b. t. Diffamatus de aliquo crimine si hoc depositione dignum sit interim ab officio suspenditur, donec se legitime purget. c. 2. b. t. ne in populo generetur scandalum. Si crimen sit grave, & permanens, qui scilicet habeat in domo fœminam suspectam ter moneri debet: & si ter monitus non respiscat, à beneficio etiam potest suspendi, cum valde conveniens sit, bonam opinionem personarum Ecclesiasticarum conservari. c. 6. D. 33. Si crimen, unico actu consumetur, ut homicidium, non est necessaria, nec servietur monitio, cum diffamatus non possit se emendare, sed statim poterit Judex ad suspensionem, & purgationem procedere. Purgatione ritè peracta ipse purgatus absolvitur à suspensione, si quæ ante purgationem inflata fuit ob infamiam, vel scandalum criminis objecti. c. 8. c. 10. b. t. ab objecto crimen absolvitur, & innocens declaratur. c. 6. 2. q. 5. & ad pristinum*